



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Modus co[n]tinua[n]di p[ro]cessum p[er] denu[n]tiatione[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

namus lib. 5. c. 10. orato. inslit. & Gaudinus tract. crim. tit. de presumptionibus. & copiose, ac diligenter Franciscus Cafonus tract. 1. de iudicijs ex personis, c. 1. & multis sequentibus: quod in hoc crimine potissimum est obseruandum: nam qui in locis suspectis est educatus, facile creditur habere hæresim infellicus: de cæteris vero circumstantijs idem est iudicium. hæc omnia prudentissime docet hic Emericus quamuis sine arte id facere videatur.

b Et sic prudens Inquisitor interrogabit, & formabit sibi articulos, secundum materiam, de qua est accusatus. Hoc est præcipuum documentum Inquisitoribus obseruandum, dum reos interrogant, ne videlicet eos interrogent extra id, de quo sunt inquisiti vel delati, nisi ipsi rei dum confitentur, dederint occasionem ad alia etiam interroganda: quod frequētissime contingit: tunc enim si ea non sunt propterea incepta, & ad causam conduceant, etiam interroganda sunt, instructione Madriliana anno MDLXI. c. 15. §. y. deueni siempere. in hæc fere verba: Habeant etiam Inquisitores magnam curam, ne interrogent extra indicia, nisi reus per suam confessionem occasionem habuerit. quod etiam optime admonuisse videtur hoc loco Emericus.

c Vel teneat eum in posse curia secularis. Sape contingere potest, vel ob impotentiam Inquisitorum, vel ob multitudinem hereticorum, vel ob alias causas, ut rei capti tuti non sint in carceribus. Inquisitorum, & propterea docet eos quandoque custodiri in carceribus. curie secularis: quod & olim saluberrime cauuit Innocentius iij. rescripto incipiente: Ad extirpanda. in hæc verba: In carceribus, seu Receptor, quilibet, omnes hæreticos & hæreticas qui capti amodo fuerint per viros catholicos ad hoc electos a diocesano, si fuerit præsens, & fratribus supradictis, in aliquo speciali carcere tuto & securo, in quo ipsi soli detineantur seorsum a latronibus & bannitis, donec de ipsis fuerit definitum, sub expensis communis ciuitatis, vel loci sui, facere custodiri. hæc ibi.

Verum cum hoc contingeret fieri, obseruanda sunt huius constitutionis verba iubentia, vt heretici custodiantur a viris electis per Inquisitores & Episcopos: item separentur ab alijs delinquentibus. quod est salubriter cautum, ne vel per malos ministros, aut perfidos socios, quales sunt latrones & banniti, in detrimentum fidei aliquod committatur, instruanturque, de celanda veritate.

d Cumque accusatus fuerit sic captus, interrogabit eum & examinabit frequenter Inquisitor &c. Neque his obstat id quod paulo antea diximus de terna admonitione faciendâ; nam illa interpolata sunt intra decem dies a tempore capturæ, per quas si reus, vel nihil confiteatur, vel non plene confiteatur, tunc promotor Fiscalis accusationem proponit contra reum de illis delictis, quæ per testes probata sunt, omittis nominibus testium, & alijs nonnullis circumstantijs commissorum criminum, vt constat ex forma libelli, quam diximus paulo ante commentario 14. §. sed cum hodie. ac illa quidem tres monitiones necessariae videntur.

Cæterum non modo in principio actorum, sed in tota etiam causa quoties expedire videbitur, multæ

A etiam alia fieri possunt ab Inquisitoribus: tunc aut expedire videtur, cum vel reus obiecta crimina negat, vel partem negat, & partem confitetur, vel noua superveniunt indicia, aut denique ob alias causas, quas nominatim ars completi non potest. cap. ult. 30. q. 5. ibi: Et tādū actio ventiletur, quoultq; ad rei veritatem perueniatur. Frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermisissum forte remaneat, quod annexi conueniat. hæc ibi. & facit c. iudicet. 3. q. 7. & optima ad hoc glo. in c. pen. verbo, interrogacionibus. extra de iuram. calum.

B Modus continuandi processum per Denuntiationem.

SECUNDVS processus, scilicet ille, qui fit ad denuntiationem alterius, partem non facientis, sed tantum denuntiantis, in quo proceditur ex officio, & non ad instantiam partis, continuatur sic: Nam postquam denuntiatio est facta contra aliquem de hæresi coram Inquisitore, & in scriptis redacta, & in processu inserta pro fundamento processus, secundum modum, de quo dictum est prius; Inquisitor faciet citari testes, quos denuntians intimauit, & præsertim illos, qui magis videntur scire in factis: & continuabitur in processu sic.

Post quæ attendens Inquisitor ipse denuntiata sibi hæreticalia antedicta, fore ex sui natura talia, & tam graua, quæ non possunt nec debent conuincitibus. oculis tolerari, cū cedant in opprobrium diuinæ maiestatis, & fidei catholicæ detrimentum, descendit ad se informandum, & ad testes examinandum per modum, qui sequitur.

Talis testis citatus, iuratus, interrogatus: &c. vbi supra.

D Modus continuandi processum per Inquisitionem.

TERTIVS processus, scilicet, ille qui non fit ad accusationem, nec ad denuntiationem alterius, sed fama publica referente, vel clamosa insinuatione deferente: & sic non ad instantiam partis, sed ex officio iudicis, continuabitur sic: Nam prædicta insinuatio, vel fama reclamatio deducta ad aures Inquisitoris, & inserta in processu pro sui fundamento, vt dictum est supra, Inquisitor faciet citari aliquos testes, & præsertim personas graues, & bonas, & coram notario & duabus personis religiosis, vel honestis, (vt dictum est) inquirere de fama tantummodo cum illis, an sit veraciter apud bonos & graues ille, de quo agitur, de hæresi infamatus: & continuabitur sic processus.

Post quæ attendens ipse inquisitor, quod iniurias creatoris nimis est impij tolerare, maxime illas, quæ vergunt, vel vergere possunt in graue eiusdem vituperij & offensam, ac sanctæ fidei opprobrii & iacturæ, voluit (vt debuit) plenius se informare an talis de tali hæresi sit apud bonos, & graues veraciter infamatus, & sic processit ad se informandum & testes examinandum per modum, qui sequitur.

D d 4 Forma

77 Tabiſis in ſūma verbo, Inquisitor. §. 26.

Continuatio Processus.

78 Tabien. verbo, Inquisitor. §. 27.

Continuatio Processus.